



IN FESTO BB. APOSTOLORUM  
SIMONIS ET JUDÆ  
CONCIO PRIMA,  
IN QUAE LECTIO EVANGELICA  
explanatur.

THE. *Hec mando vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan. XV. 17.

\*\*\*\* Nter omnes humanæ  
\* I \* vitæ errores, fratres  
\* \* carissimi, non po-  
\*\*\*\* stemus ille mihi esse  
videtur, quod plerique homi-  
num divina ex humanis as-  
simare solent, Deumque ex se  
ipsis, moribusque suis metiri.  
Hunc autem errorem Dominus  
prophetica voce ab illorum  
mentibus eximendum curavit,  
quum dixit: (a) *non enim cogi-  
tationes mea, cogitationes ve-  
stra, nec via mea, via vestra,  
dicit Dominus. Quia sicut exal-  
tantur caeli a terra, sic exaltata  
sunt via mea a viis vestris, &  
cogitationes mea a cogitatio-  
nibus vestris.* Subjiciamus hu-  
jus rei aliquot exempla. Multi  
homines, ubi injuria affecti fue-  
rint, difficiles se se admodum

ad ignoscendum præbent: un-  
de videmus, passim vetustissi-  
ma atque pæne æterna odia a-  
pud multos durare. Non desunt  
autem, qui Deum ex moribus  
& ingenio suo metientes, hoc  
eodem modo pæne inexorabi-  
lem ipsum credant. Certe No-  
variani, qui secundam pœni-  
tentiam negabant, talem eum  
esse credebant. Credebat &  
crudelis ille fraticida Cain,  
qui dicere ausus est: (b) *major  
est iniquitas mea, quam ut ve-  
niam merear.* At hoc usque adeo  
a divinis moribus abhorret, ut  
is per prophetam dicat: (c) *in  
quacumque hora impius conver-  
sus fuerit ab impietate sua, am-  
plius non recordabor scelerum e-  
jus.* Desiste ergo tu vere & ex  
animo per lamenta pœnitentiæ

a

(a) *Isai. 55. 8. 9.* (b) *Genes. 4. 13.* (c) *Ezech. 33. 19.*

a sceleribus tuis, desistetque  
vere Dominus ab ira & vindi-  
cta furoris sui. Homines etiam  
moleste ferunt, si quis aliquid  
ab eis importunis precibus ef-  
flagitet: quæ nobis causa esse  
solet, ut importunas mendi-  
corum voces moleste feramus.

Non deerunt autem fortasse,  
qui hoc ingenio Deum esse ar-  
bitrentur: ceterum tantum ab-  
est, ut hac importunitate divi-  
na pietas offendatur, ut hoc  
officium non ad tempus, non  
statis horis atque diebus, sed  
sine ulla intermissione, a nobis  
fieri moneat, quum ait: (a)  
*oportet semper orare, & non  
desicere; & iterum: (b) vigi-  
late itaque omni tempore orantes.*  
Homines præterea bene institu-  
ti nova beneficia petere recu-  
sant, a quibus multa jam antea  
perceperunt. At viri sancti hanc  
præcipue causam nova a Deo  
munera petendi putant, quod  
multa jam ante perceperint.  
Quem enim benignum & mi-  
sericordem frequenter experti  
sunt, sui quoque similem per-  
petuo futurum sperant. Quod  
quia Asa rex Juda facere no-  
luit, (c) graviter a Domino,  
missis ad hoc propheta, objur-  
gatus est. Quum enim insignem

Tom. III.

M 3

ma-

(a) *Luc. 18. 1.* (b) *Luc. 21. 36.* (c) *2. Paralip. 16. 7.* (d) *Ge-  
nes. 32. 10.*

illi Dominus victoriam adver-  
sus innumerabiles Æthiopum  
legiones contulisset; ubi post  
aliquot dies a rege Israël bello  
lacepsitus fuit, non ad opem  
Domini, sed ad regis Syriæ au-  
xilia, confugit. Quod ejus con-  
siliium Dominus non modo pro-  
phetæ verbis, sed gravissimo  
etiam pedum morbo, castiga-  
vit. At longe aliter sanctus pa-  
triarcha Jacob, qui, quum ab  
Esau fratre liberari a Domino  
peteret, vetera beneficia com-  
memorans, ait: (d) *Domine, mi-  
nor sum cunctis miserationibus  
tuis, & veritate tua, quam ex-  
plesti servo tuo. In baculo meo  
transivi Jordanem istum, &  
nunc cum duabus turmis tuo be-  
neficio regredior. Erue me de ma-  
nu fratris mei, quia valde eum  
timeo.*

Sed ut ad lectionem sancti  
evangelii propius accedamus,  
homines, qui familia & servo-  
rum obsequio indigent, servi-  
tium ab illis quidem exigunt,  
sed servitii mercedem eisdem  
pollicentur. Itaque beneficium  
dando accipiunt, dum ab il-  
lis famulatum percipientes, de-  
bitum pro eo stipendium red-  
dunt. Non deerunt autem mul-  
ti, qui, ut ante dixi, ex hu-

manis divina judicantes, pietatis & religionis cultum humanæ servituti similem faciant: ut videlicet Deus, obsequio & servitio nostro ad nominis sui gloriam indigens, æternæ vitæ mercedem pro impenso sibi famulatu largiatur. Quod qui putant, maximo sane & perniciosissimo errore tenentur. Neque enim is ad gloriæ suæ cumulum obsequio nostro indiget, qui ante omnia sæcula plenissime in se ipso gloriosus & beatus fuit. Cur igitur tanta a nobis severitate mandatorum suorum obedientiam exigit? Non ob id certe, quod is, humano more, famulatu & obsequio nostro egeat; sed quod hæc ipsa obedientia ad salutem & incolumitatem nostram maxime pertineat. Quod quidem ex mandatorum ejus ratione cernere facile est, quorum maxima portio ad humanæ vitæ tutelam spectat. Sicut enim is nulla indigentia aut necessitate, sed sola bonitate inductus, ut Plato quoque sensit, mundum condidit, & hominem in mundo, cui serviret mundus: ita sola bonitate leges hominibus dedit, quæ ad eorum ipsorum salutem, pacem & incolumita-

tem pertinent, quibus latæ sunt: hoc enim aperte illa ejus verba indicant, quibus ad Moysen de filiis Israël ait: (a) *quis det eos talem habere mentem, ut timeant me?* Quam ob rem, quæso, Domine? *Ut beneficit, inquit, eis, & filiis eorum post eos.* Itaque sibi nihil de eorum obsequio sumit, totum laboris fructum in eos refundit.

Addam hic aliud mirabilius, quodque magis divinæ bonitatis largitatem conspicuam nobis efficit. Quid illud est? Hoc certe, quod ad hunc ipsum obedientiæ laborem ipse nos gratiæ suæ beneficio adjuvat, & ita adjuvat, ut major pars operis nostri ejus donum sit: adeo ut ipsa bona opera nostra, ipsius magis, quam nostra, dici debeant. Itaque electorum omnium illa vox est: (b) *omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.* Quanta ergo illa bonitas, quæ pro eo labore atque studio, quod non sibi, sed tibi expedit, ad quod etiam ipse te spiritus sui virtute adjuvat, æternæ vitæ præmium pollicetur? Quam rem si homines penitus cognitam & exploratam haberent, partim ad amorem tantæ bonitatis excitarentur,

(a) Deut. 5. 29. (b) Isai. 26. 12.

tur, quæ plus quam paterna caritate, pro exhibitio legis beneficio, quasi pro impenso sibi obsequio, præmium promittit; partim etiam ad ipsarum legum custodiam vehementius incitarentur: quando in earum observatione non quidem rem alienam, sed suam agerent, sibi que tunc maxime divina mandata exsequendo prospicerent. Quum enim homines adeo commoditatum suarum avidi sint, ut per omnes sæpe flammæ ad lucra sua captanda irrumpant; quid non facerent, si divinarum legum obedientiam tam magna eis lucra, non ad animam solum, sed ad corpus etiam; nec ad vitam modo futuram, sed ad præsentem quoque, afferre intelligerent? Hoc est igitur, quod Salvator in hodierna sancti evangelii lectione docere nos voluit, quum ait:

*Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Quid hac lege commodius ad humanam vitam in pace degendam proponi potuit? Hoc enim uno dilectionis præcepto Dominus & omnem injuriam prohibuit, & omnia benignitatis officia complexus est. Amor namque donorum omnium & primum & maximum, & omnium aliorum

causa est. Unde quum natura\* conditor Deus liberos a parentibus educari, & beneficiis omnibus affici vellet, miram erga illos caritatem mentibus eorum ingeneravit: hac enim vigente, cetera omnia beneficia facile consequutura intelligebat. Quum ergo toties Dominus hoc nobis caritatis præceptum commendat, omnia simul benignitatis & misericordiæ officia in omnes homines commendavit. Hac autem lege quid humanæ vitæ commodius? quid salutaris? Sicut ergo leges civiles, quas philosophi Deorum\* inventum esse dixerunt, nihil aliud, quam hominum salutem, pacem & incolumitatem, intuentur; ut videlicet homines sine injuria in honesto otio & tranquillitate vivant: ita etiam, ac multo magis, divinæ leges hoc ipsum omni ratione curant. Non enim manum solum, ut humanæ leges, sed animum quoque ab injuria & voluntate nocendi prohibent. Sed illæ tamen leges, hoc beneficio contentæ, nihil amplius addunt. At summus ille legislator Dominus, æternæ quoque vitæ mercedem legum suarum cultoribus promittit, beneficium pro beneficio, & gratiam pro singulari gratia rependens.

Qua bonitate & caritate quid, quæso, cogitari mirabilius potest?

Neque præmiis tantum magnificentissimis, sed acerbissimis etiam poenis infligendis, ad hujusmodi legum custodiam humanas mentes inducit. Itaque si damnatorum poenas, & damnationis causas excutere velis; hoc est, cur tam acerbis in gehenna suppliciiis improbi plectantur: deprehendes plane, alium ibi torqueri, quia alienæ uxoris pudicitiam violavit; alium, quia honestæ virginis per vim stuprum intulit; alium, quia res alienas diripuit; alium, quia contra jus fasque iniquam tibi litem intendit; alium, quia, iudex quum esset, injustam contra te sententiam tulit; alium, quia falsum contra te testimonium commentus est; alium, quia contumeliis, injuriis, fraudibus & insidiis salutem & honorem tuum petivit; alium, quia pauperes & tenues homines per vim & potentiam oppressit. Horum enim scelerum auctoribus locum illum suppliciorum referentissimum esse constat. Utroque igitur modo Dominus, & poenarum acerbitate, & præmiorum magnitudine, ad

legum suarum observationem homines adducit. Legum autem ejus compendium his verbis, quæ audistis, continetur. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Itaque quum ipsi nos ipsos illo jubente diligimus, illum utique diligimus; & quum dilectionis officia in alios conferimus, tunc illum officii prosequimur, & legem ejus implemus. An non ipse hoc idem per prophetam testatus est? quid enim aliud illa ejus verba significant: (a) *in loquela enim labit, & in lingua loquetur populo huic, cui dixit: hæc requies mea, reficite lassum, & hoc meum refrigerium?* Prænuuntiat autem hoc in loco Dominus apostolorum prædicationem, ad quam variæ illis linguæ donatæ sunt, qui tamen concordia sententia eandem hominibus doctrinam prædicabant. Ejus vero doctrinæ summa erat: *hæc requies mea, reficite lassum, & hoc meum refrigerium:* qua quidem lege atque doctrina, propensa Domini voluntas ad omnes homines omni ratione juvandos aperte insinuat. Quo in loco vehementer illa Domini verba notanda sunt: *hoc est meum refrigerium.* Perinde enim atque ipse nostris angustiis & miseriis

(a) *Isai. 28. 11. 12.*

premeretur, ita suum esse refrigerium ait, afflictos & inopes consolari: ideoque beneficium in se collatum reputat, quidquid in miseros homines fuerit impensum.

Hoc præterea inter summa sacrificia, sibi que gratissima computat. Enumeratis enim pecudum omnium sacrificiis, eisdemque repudiatis, hoc tandem sibi velut omnium suavissimum offerri postulat: (a) *invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Quid autem optabilius accidere homini poterat, quam ab imminentibus periculis, quæ nos undique circumstant, liberari? Hoc igitur, quod nobis maxime salutare est, illi quoque sacrificium gratissimum est. Quam rem Dominus, Pharisæorum calumniam retundens, evidenti scripturæ testimonio confirmavit. Quum enim illi Dominum accusarent, quod peccatores reciperet, & cum illis manducaret ac biberet; ille eos ad scripturæ auctoritatem remisit, dicens: (b) *ite, discite quid est: (c) misericordiam volo, & non sacrificium.* Quid ais, Domine? an non præstantius est sacrificium, quod Deo offertur, quam misericor-

dia, quæ hominibus exhibetur; præsertim quum sacrificium religionis opus sit, quæ inter morales virtutes præstantissima habetur? Est ita plane: nec Dominus hoc in loco sacrificiorum majestati derogat; sed nudum tamen sacrificium repellit, quum misericordia & benignitate destitutum est. Hoc enim non verum sacrificium, sed sacrificii simulacrum magis existimandum est. Verum namque sacrificium, a spiritu Domini profectum, ejusdem spiritus gratiam in animo auget, a qua profectum est. Eiusdem autem spiritus communio, eodem affectus, idemque vitæ genus in animo habentis ingenerat. Talis autem affectus nec peccatores respiscere volentes contemnit, quod Pharisæi faciebant; & omnes homines officii, caritate, misericordia, & omni ratione juvare studet, quod divinæ benignitatis proprium est. Hunc enim animum, hos mores ex divina communione & familiaritate in se transfundit, quisquis familiariter cum Deo versatur. Quam rem Moïsi exemplo comprobare licet. Quoties enim Israëliticus populus ab Ægypto egressus imperium Domini per summum

see-

(a) *Psaln. 49. 15.* (b) *Matth. 9. 13.* (c) *Osee 6. 6.*

scelus contempnit? quoties ejus iram provocavit? quoties ab eo propter assidua & quotidiana scelera diris plagis attritus fuit?

(a) *Quadraginta, inquit, annis proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde. Quorum sceleribus & flagitiis ipse quoque Moses, qui eorum ductor erat, sic offensus fuit, præsertim quum ab eo carnes in illa solitudine petierunt, ut animi sui marorem & consternationem his verbis apud Dominum testatus sit: (b) „ cur „ afflixisti servum tuum? cur „ non invenio gratiam coram „ te? Et cur imposuisti pondus „ hoc universi populi super „ me? Numquid ego concepi „ aut genui multitudinem hanc „ tantam, ut dicas mihi: por- „ ta eos in sinu tuo, sicut por- „ tare solet nutrix infantulum?*

Animadvertite, quæso, fratres, quo affectu Dominus, quibus caritatis visceribus incredulum & rebellem populum tractari volebat, a quo toties violatus & offensus fuerat! Hic enim animus, hoc pectus, hoc ingenium illius beatissimæ mentis est. Quem etiam animum idem Moses, qui tam familiari Dei consuetudine utebatur, se induisse multis in lo-

cis ostendit. Quum enim Dominus propter nefarium illud conflati vituli scelus prævaricatorem populum funditus perdere vellet, Mosi vero principatum longe majorem & præstantiorem polliceretur; sanctus vir post quadraginta dierum jejunium, totidem rursus dierum spatio prostratus coram Domino jacuit, suppliciter illum deprecans, (c) ut vel populi sui peccato veniam daret, vel se de libro suo deleret: se enim nullo modo pari posse, ruente populo, superstitem relinqui; nec illi jucundum aliquid in communi populi vastitate accidere posse. Talia enim vir sanctus caritatis viscera ex consortio sermonis Domini induerat. Hinc D. Chrysostomus sanctos illos anachoretas, qui, turbis urbium, & humana consuetudine relicta, in solitudine vitam perducebant, non ideo agrestes & inhumanos existitisse ait, quod ab hominum cœtu secreti viverent: immo vero quo magis divina consuetudine fruebantur, hoc magis divinam benignitatem & caritatem in homines, quos ipse condidit, & summa caritate prosequitur, imitabantur. De eisdem etiam Gregorius Theologus

(a) *Psalm. 94. 10.* (b) *Num. 11. 11. 12.* (c) *Exod. 32. 31. 32.*

ait, quod *in media hominum luce versantes, solitaria vite rationem servarent; & in solitudine agentes, caritatis humanitatisque officia studiosissime tuerentur.*

Ceterum, ut ad divinæ legis rationem redeamus, quemadmodum ea divinæ caritatis & benignitatis imaginem nobis repræsentat, ita humanæ malitiæ pravitatem & cæcitatem oculis nostris ingerit, qui nec talem legislatorem amore complectimur, qui nobis gratiam pro gratia largitur, dum pro lata legis beneficio, cælestis hereditatis beneficium promittit: insuper & legem ejus, qua parte nostris commodis per dilectionis mandatum consulit, ceu gravem & difficilem ita accusamus, ut multi, quum ad illam adiguntur, præsertim qui cum proximis inimicitias foveant, ad illam tamquam ad tritremium servitutem damnari se credant. Immo erunt fortasse non nulli, qui se magis ad Insulas ardore Solis exultas in exilium relegari patiantur, quam ad hujus legis custodiam obligari: *hec mando vobis, ut diligatis invicem.* Verum ex hoc loco digressi ad sequentia veniamus.

## §. I.

Pergit deinde Dominus discipulos confirmare, ne favientis contra eos mundi odia pertimescant. Sequitur enim: *si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Prius quam horum verborum explanationem attingam, quid his beatissimis apostolis in quadam Persidis civitate sub rege Xerxe acciderit, quod huic proposito maxime quadrat, commemorabo. Erat in ea civitate templum Soli & Lunæ dicatum: in quod a pontificibus & furente populo sancti apostoli adducti sunt, ut commenticios illos Deos adorarent. Erat in ea templi parte, quæ ad orientem pertinebat, currus fulvis ex auro, in quo Sol cum radiis fulvibus ex auro erat collocatus. Ex altera parte stabat Luna fulvis item ex argento, cum curru boium fulvi ex argento. Eos ut colebant apostoli, pontifices cum populo cogebant. Ipsi vero, indicto silentio, Solem & Lunam servos Dei esse, scire se, professi sunt: qui tamen in cælo essent collocati. Itaque eos non sine injuria in templo includi, quos in cælo collucere ab orbe con-

dito constaret. Atque ut intelligerent, non Solem & Lunam in simulacris inesse, sed dæmonia; ipsi imperaturos se dæmonibus professi sunt, ut a simulacris exirent, atque ea comminuerent. Hæc inter eos officia divisa sunt, ut uno eodemque puncto temporis Simon dæmoni, qui in Solis, Judas ei, qui in Lunæ simulacro inclusus erat, imperaret. Quod quum ab eis factum esset, statim duo Æthiopes nigri, nudi, horribilesque specie, visi sunt egredi, qui, simulacris in frustra concisis, cum magno clamore abierunt.

Hactenus de historia: nunc ex ea propositi mei rationem aperire volo. Christi igitur apostoli, Deorum illorum deformitatem, horribili eorum specie ante spectantium oculos posita, ostendere voluerunt: ego vero alterius Dei, commenticii nempe mundi, foeditatem ex his Domini verbis volo vobis exponere. Ait enim: *si de mundo fuissetis, mundus, quod suum esset, diligeret, &c.* hoc est, si mundano more vitam institueretis, id est, si fastum & superbiam, si opes, si voluptates, si ingentia palatia, copiosam familiam, longum fervorem agmen, & varias vitæ delicias,

quæ omnia mundani homines per tela, per ignes inquirunt, vos etiam simili ardore quæretis; mundus utique nullo modo in vobis improbarer, quod ipse moribus suis probat: alioqui se ipsum accusaret, damnationisque sententiam contra se ferret. *Quia vero de mundo non estis*, hoc est, quia, celsiores mundo effecti, quæ mundus probat, improbatis; quæ ille amplectitur, repudiatis; quæ in summo pretio habet, contemnitis; quæ tantum ille non adorat, pedibus conculcatis: propterea odit vos mundus. Sed hæc obscurius diximus: aperitius eadem dicamus. Si vitam pessimis ac turpissimis rationibus institueretis, vos quidem mundus diligeret: quia vero candido pectore estis, & innocentiam, pietatem & justitiam colitis, propterea odit vos mundus. Hos esse mundi mores, hoc ingenium, testatur sapientia Patris. Quæso vos, fratres, qui alii mores, quod aliud est dæmonis ingenium? An non ille virtutis hostis, & vitiorum amator & auctor & incentor est? Quo ergo ille ingenio & mente est, eadem & membra ejus, in quibus ipse operatur, esse necesse est. Animadvertite ergo, quem Deum mundani homi-

mines colant, quem vitæ ducem sequantur, cujus leges & placita universis Dei legibus & consiliis anteponant. An non igitur hoc ad mundi deformitatem agnoscendam satis est, quod eadem mente, eodem ingenio atque dæmon ipse sit, eademque tetra & nefaria facinora molitur?

Quod si alios ejus mores agnoscere vultis, observate, quid deinde Dominus addat: *si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, & vestrum servabunt*; hoc est, observabunt, varias tendentes insidias, ut verba vestra calumnientur, & vos, sicut & me, capere in sermone possint. Porro autem de mundi hujus principe hoc Dominus testimonium tulit, quod is (a) *homicida esset ab initio*. Idem etiam elogium convenit mundo, qui & Dominum occidit, & martyres, & prophetas, & apostolos, quibus Dominus, quum eos ad prædicandum destinasset, ait: (b) *ite, ecce ego mitto vos tamquam agnos inter lupos*. Ad Ezechielem vero ait: (c) *filii hominis, increduli & subversores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas*. En, fratres, aliud mundi, hoc est,

mundanorum hominum, præclarum facinus: quod auctorem vitæ, & ministros ejus, variis suppliciis interemerunt. Equum ne igitur vobis esse videtur, talis Dei legibus obsequi, & secundum ejus præscriptiones & judicia vitam instituire?

At respondebitis forsitan: iste quidem mundus sanctorum sanguine cruentus jam dudum e medio sublatus est: alius nunc pro illo novus surrexit, longe ab istis sceleribus abhorrens. Confiteor plane, non est modo mundus iste sanguinarius, quia non ad piorum sanguinem fundendum mucronem exacuit; sed quid si in omnibus aliis præcipienti mundo magis quam Deo paretis? An non ille magis Deus existimari debet, cujus legibus obtemperatis, quam cujus leges contemnitis? Sed ne amplificandi gratia hæc a me dicta esse existimetis, hujus rei periculum faciamus. Quam multos, quæso, in christiano populo reperire licebit, qui ubi obstinato animo scelestum aliquod facinus suscipere decreverunt, si illis omnia Dei præcepta & consilia, si terrores & minas ab eo propositas, si summum crucis & redemptio-

(a) Joan. 8. 44. (b) Luc. 10. 3. (c) Ezech. 2. 6.

ptionis beneficium, si mortem, si iudicium, si gehennam, si caelestem gloriam, ceteraque fidei christianæ mysteria proponas, ut ab eo facinore deterreas, nihilo magis agas, quam si furdo caneres fabulam. (a) *Obturavit enim ad hæc omnia velut aspis aures suas, quæ non audit vocem incantantis sapienter.* Qui tamen si divinis rationibus omisis, humanis apud illos agere velis, & id facinus, quod animo conceperunt, estimationi eorum vel apud populares honores, vel apud principem officere probaveris; victas post tergum manus dabant, & in tuam protinus sententiam pedibus discedent. Quod omnia igitur fidei sacramenta, & Christi crucis memoria, efficere nullo modo poterunt, quibus popularis auræ metus plenissime præstitit. Apud hos igitur homines, cujus auctoritas & imperium magis valet? Dei, an mundi? An non hic apertissime posthabito Deo mundus antefertur, mundus majori in pretio habetur, mundo magis quam Deo obtemperatur, mundi leges, mundique metus divinis legibus ac timori divino anteponitur? Quid mea refert, quod tu verbis & ap-

(a) *Psalms. 57. 5. 6.* (b) *Joan. 12. 31. 32.* (c) *2. Corinths. 3. 6.*

pellatione Deum honores, si quod Deo debetur, mundo tribuis? hoc est, si obedientiam & honorem Deo debitum, spreto Deo, ad mundum defers? Recte D. Augustinus: *o, inquit, homo, vult tibi Deus? Vult plane, cui vilissima mundi commoda & rumusculi anteferuntur.* Hæccine sunt obsequia, hi honores, hic cultus est, qui tibi, Domine, creationis, redemptionis, ceterorumque beneficiorum jure debetur? Hicne est incarnationis, passionis, & omnium laborum tuorum fructus, quos, ut nos a mundi servitute eriperes, pertulisti? Ubi est illa promissio: (b) *nunc iudicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras: & ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum?*

Et quidem quod homines ante latam legem mundi legibus parerent, & sese omni genere flagitiorum inquinarent, minus plane mirum esset; peccatum enim eo tempore non ita imputabatur, quum lex non esset; & qui lata jam per Moysen lege deliquerunt, minus etiam accusandi sunt, quod (c) litteram tantum perceperint occidentem, non spiritum vivificantem: at nos, qui non sub

le-

lege, sed sub gratia constituti sumus, quibus tot virtutum exempla exhibita, tot beneficia impensa, tot sacramenta in humanæ infirmitatis remedium instituta, tot divini amoris & timoris incitamenta, tot denique divinæ bonitatis mysteria ante oculos posita sunt, totque ecclesiæ voces aures quotidie nostras feriunt; quo modo, tot ad pietatem & justitiam stimulis agitati, totque adjumentis instructi, adeo nihil proficimus, ut dicere nos quoque cum propheta possimus: (a) *facti sumus velut a principio, quum non dominareris nostri, nec invocaretur nomen tuum super nos!* Quid, quæso, insinuare nobis, Paulle, voluisti, quum diceres: (b) *peccatum vobis non dominabitur: non enim estis sub lege, sed sub gratia?* Ecce nunc sub gratia constituti, non minus modo delinquimus, quam homines sub lege, immo & ante legem, delinquebant.

### §. II.

Hoc est igitur, fratres, quod vehementer causam nostram premit, ac plane inexcusabilem facit. Subdit namque Dominus: *si non venissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non*

*haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Hæc non Judæis modo, sed nobis etiam dicta putemus. Nec enim minora nobis ad pietatem adjumenta, quam illis ad fidem argumenta, data sunt. Quocirca si illorum perfidia excusationem non recipit, vehementer timendum est, ne forte obstinata multorum pravitudo non admittat. Quod quo apertius intelligatis, expendamus, quid sibi Dominus velit, quum ait: *si non venissem, &c. peccatum non haberent.* Cur enim peccatum non haberent? Hoc in loco D. Thomas, peccati nomine, non omnia peccata, sed infidelitatis peccatum intelligit; quod tamen instar peccatorum omnium est: quandoquidem sublata fide, cetera omnia peccata manent, quæ, nisi per mediatoris Christi fidem, remitti nequeunt. Ab hoc autem peccato Judæos immunes futuros fuisse ait, si eos ipse Dominus ad fidem & signis & verbis erudiendos minime suscepisset. Sic etiam barbaræ nationes, quibus nondum evangelium annuntiatum est, ab hoc infidelitatis peccato immunes sunt. Nihilominus tamen hi omnes æterno supplicio multabun-

(a) *Isai. 63. 19.* (b) *Rom. 6. 14.*